



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio II. De Vniversali in Specie.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

ccxxx. Confirmatur à pari, ex voluntate juxta Resolutionem 1^{am}.

ccxxx. Obijcies tamen 1^o, cum P. Arriaga loco citato, si per visionem vel intuitum confusum posset fieri Univerfale, posset & per actum intuitivum quantumcumque distinctum & clarum; sed hoc non admittitur, ergò &c. Probatur sequela, quia, quantumcumque distinctus intuitus non distinguit inter hæcceitates; nam qui intuetur aquam quæ movetur, cujus motum non percipit, diversas aquas confundit, & adeò confusè videt, quasi essent una: item qui videt, duas albedines fundamentaliter similes, successivè sibi repræsentatas, eas confundit, & dicit esse unam & eandem, ergò, &c.

ccxxxii. Respondeo negando sequelam, nã ne quidem per quemcumq; actum confusum potest fieri Univerfale; sed per confusum dumtaxat multorum per modum unius, & non per confusissimum unius tantum, juxta dicta dub. 8^o: ad ejus probationem, concedo, in exemplis allatis visum non distinguere inter hæcceitates; nego tamen intuitum tunc facere Univerfale, quia non datur ibi una visio multarum aquarum aut albedinum realiter, sed dantur tot visiones, quot objecta successivè diversa, etenim visus instanti A. attingit partem aquæ sibi præsentem per visionem A. instanti B. partem aquæ succedentem per visionem B. distinctam. Idem dic de albedinibus; vel potius dic, visum ab initio clarè & distinctè attingisse hæcceitates aquæ ut distinctas à terra & similibus corporibus adjacentibus, quia semper illam ab illis distinxit; licet ejus ubicationes diversas successu motus acquisitas non attingerit, quia in se non sunt visibiles; actus verò non dicitur confusus aut distinctus per hoc, quod res ejusdem naturæ imperceptibiliter, naturaliter aut supernaturaliter, mutatas confundat aut distinguat; sed per hoc, quod res diversæ speciei aut naturæ ejusdem, perceptibiliter diversas confundat aut distinguat: alioqui nullos haberemus actus distinctos naturaliter; quia naturaliter inter hæcceitates rerum ejusdem speciei distinguere non possumus.

ccxxxiii. Obijcies 2^o, ex P. Comptono Log. Disp. 29. Sect. 3^a. secundum hanc sententiam, equus aut aliud brutum quodcumque facere posset Univerfale, & secundum eandem sententiam, equus videns confusè colorem, videt colores omnes, qui jam sunt in quacumque mundi parte, in centro terræ, apud antipodas, &c. nam æquè indistinguit ab illis, ac à cæteris omnibus; quæ ita vel ipsis sensibus, & communi Philosophorum Doctrinæ re-

pugnant, ut quivis, vel hoc nomine, ab amplectenda hac sententia deterri debeat, ergò, &c.

ccxxxiv. Respondeo concessa 1^a sequelâ, negando 2^{am}, quia qui confusè videt hunc colorem, non videt positivè confusè omnes colores; sed negativè, id est, non videt hunc esse ab illis distinctum; quod ad faciendum Univerfale non sufficit, ut constat ex Dub. 8^o, & antè Dub. 7ⁱ. Resol. 4^a. unde Comptoni exaggeratio non sufficit, nisi ut vel de ipsius Doctrina hoc in puncto meritò diffidatur.

ccxxxv. Addo tamen, inter disputandum semper supponi debere, juxta communem omnium Philosophorum sententiam, non dari Univerfale formaliter per voluntatem & potentias externas; quia alioqui oporteret distinctiones voluntatis, visionis, tactus, &c. inter gradus Metaphysicos admittere, quod est inauditum, licet verum, idque multum argumentantes aut defendentes turbaret. semper tamen negare debemus, non dari Univerfale formaliter extrâ conceptum, per voluntatem & potentias externas, ubi de illo expressus est sermo. Si autem roges, quid senserit D. Thomas: Respondeo videri nobis omninò consentire Opusc. 43. cap. 6. ubi ait: *Conjunctorum secundum rem visus vel alius sensus potest unum apprehendere, alio non apprehenso*; ergò & duo per modum unius. Dum autem alibi contrarium docere videtur, ut 1. p. q. 12. art. 4. in corp. solum vult, sensus illos non ferri in Univerfale ut tale, sive secundum quod (ut ibidem ait) *abstrahitur, quod est connaturale intellectui & supra facultatem sensus*. Ex his

ccxxxvi. Colliges, non minùs dari præcisiones intuitivas, auditivas, &c. quàm intellectuales, quod rectè notavit P. Molina in albedine miraculosè suffecta in alterius locum, de qua supra: nec rectè respondetur, per intellectum fieri præcisiones, quia intellectus non attingit objectum sicuti est in se; non verò per visum & cæteras potentias externas, quia attingunt objectum sicuti est in se: nam contrà est, quod etiam intellectus attingat objectum sicuti est in se, juxta illud Ioan. 2^o. *Videbimus eum sicuti est*. & tamen probabilius est in Theologia, visionem Dei in Beatis esse præcisivam. Deinde datur præcisio intellectualis vera, ergò intellectus non minùs attingit objectum sicuti est, quàm potentia externæ. Antecedens patet, & inde etiam consequentia, quia juxta Aristotelem 1. de interpret. cap. ultim. *Propositio* (& idem est de præcisione) *ab eo quod res est, vel non est*, (sive ab eo, quod rem attingat, sicuti est, vel aliter quàm est) est vera vel falsa.

DISPUTATIO SECVNDA

De Universalis in Specie.

D V B I V M I.

Quodnam sit definitum in definitione Universalium.

ccxxxvii. **A**ntè Resolutionem Suppono 1^o. genus, speciem & cætera Univerfalia esse concreta quædam ex natura si-

ve 1^a. intentione objectiva tamquam subiecto, & genereitate, specieitate, &c. sive 1^a. intentione formali generis, speciei, &c. tamquam formâ.

ccxxxviii. Suppono 2^o, concreta significare subiectum in recto, id est, nominativo casu; formam verò in obliquo, id est, alio, quàm nominativo casu: nam si quærat, quid Univerfale? Respondebitur, est natura habens Univerfalitatem: ubi natura sive subiectum exprimitur in recto, Univerfalitas

universalitas verò sive forma in obliquo : undè definitiones concretorum accidentalium subjectis & formis conveniunt; diversimodè tamen, nam subjectis conveniunt denominativè, accidentaliter & ut quod; formis verò essentialiter, formaliter & ut quod; quod totum elucet in albo; album enim definitur *corpus segregativum visus*; hæc definitio corpori convenit v. g. parieti, non quatenus corpus seu paries est; sed quatenus denominatur ab albedine, non essentialiter; sed accidentaliter; non ut quod, sed ut quod, &c. Ex quo

CCXXXIX. Colliges, in definitione cujuslibet concreti accidentalis subjectum esse definitum denominativè, materiale & ut quod, formam verò essentialiter, formale & ut quod. His præmissis, sit

RESOLUTIO I.

CCXL. **D**ico 1^o. definitum in definitione Universalium non est sola 1^a. intentio obiectiva, sive subjectum, id est, natura secundum se, & ut voce, vel conceptu expressa.

CCXLI. Probatur, quia per illam definitionem non explicatur essentia 1^a intentionis obiectivæ, sive subjecti; sed definitum est illud, cujus essentia per definitionem explicatur; ergò &c. probatur major, quia *animal* v. g. quod est subjectum generis; *homo* subjectum Speciei, non dicit pro essentia esse unum aptum prædicari de multis, &c. sed esse vivens sensitivum, animal rationale, &c. alioqui dici posset *Bucephalus est genus*, non secus ac *Bucephalus est animal*; *Petrus est Species*, non secus ac *Petrus est homo*.

CCXLII. Confirmatur, in definitione Universalium definitur Univerfale in concreto; atqui 1^a intentio obiectiva, sive subjectum non est Univerfale in concreto, sed illius pars subjectiva tantum; ergò, &c. major patet ex qualibet definitione, in qua dicitur, *est unum aptum*, &c.

RESOLUTIO II.

CCXLIII. **D**ico 2^o. definitum in definitione Universalium non est etiam sola 1^a intentio formalis Univerfalis, sive forma, Genereitas scilicet, Specieitas, &c.

CCXLIV. Probatur ut antè, quia per illam definitionem non explicatur essentia 1^a intentionis formalis in abstracto; sed definitum est illud, cujus essentia per definitionem explicatur; ergò, &c. probatur major, quia 1^a intentio formalis in abstracto pro essentia dicit esse 1^{am} egressum intellectus versus suum objectum, non verò esse unum aptum prædicari de multis, id est, unum in multis, ergò, &c.

CCXLV. Confirmatur, in definitione Universalium definitur Univerfale in concreto; atqui 1^a intentio formalis Genereitas scilicet, Specieitas, &c. non est Univerfale in concreto; sed illius pars formalis tantum, ergò, &c. major patet ex qualibet Univerfale in particulari definitione, in qua dicitur, *est unum aptum*, &c. in concreto.

RESOLUTIO III.

CCXLVI. **D**ico 3^o. definitum in definitione Universalium est subjectum & forma, sive natura secundum se, & ut voce, vel con-

ceptu expressa, ut substantia 1^a intentioni formali Univerfalis, sive concretum ex 1^a intentione obiectiva & 1^a intentione formali Univerfalis, significatum per hos terminos *Univerfale*, *Genus*, *Species*, &c.

CCXLVII. Probatur ex definitione uniuscujusque Universalis, in qua dicitur in concreto, *est unum aptum prædicari*, &c. ergò, &c.

CCXLVIII. Confirmatur 1^o. in definitione Universalium est aliquod definitum; non subjectum solum, neque forma sola; ergò concretum ex utroque: antecedens patet ex Resolutione 1^a & 2^a. Probatur consequentia; quia aliud non suppetit.

CCXLIX. Confirmatur 2^o, quia qualibet definitio cujuslibet Speciei Universalis est definitio concreti accidentalis; quod, sicut duo involvit, videlicet subjectum in recto, & formam in obliquo; ita & illius definitio habere debet duo definita, videlicet subjectum, quod dicitur definitum denominativè, accidentaliter & ut quod; & formam, quæ dicitur definitum essentialiter, formaliter & ut quod; ita tamen ut 1^a intentio obiectiva, sive natura sit definitum quod & minus principale; 1^a verò intentio formalis dicta, definitum quo & magis principale; quia, cum in definitionibus concretorum accidentalium ipsa forma sit ratio, propter quam definitio subjecto conveniat, & ejus natura in concreto per definitionem explicetur; non verò subjecti: nam quando definitur *genus*, non explicatur natura animalis, licet ei, ut genereitati substat, definitio generis denominativè & accidentaliter conveniat; merito forma dicitur definitum magis principale, subjectum minus principale; quod totum patet in definitione albi, quæ definitur *disgregativum visus*, hæc definitio convenit quidem parieti, ut substat albedini, principaliter tamen albedini, quam parieti, ut patet. Ex his

CCL. Colliges 1^o in definitione Universalium, subjectum, id est, naturam esse definitum accidentale, materiale & ut quod, ac proinde minus principale; 1^{am} verò intentionem formalem Univerfalis, sive esse definitum essentialiter, formale & ut quod, ac proinde magis principale; quia, quandoquidem in definitione concretorum accidentalium ipsa forma sit ratio, propter quam definitio subjecto conveniat, & ejus natura in concreto per definitionem explicetur, non verò subjecti, licet ei ut formæ substat, definitio denominativè & accidentaliter conveniat; merito forma dicitur definitum magis principale, subjectum minus principale.

CCLI. Colliges 2^o. definitionem concretorum accidentalium eodem modo convenire subjecto & formæ, quo sunt definitum; formæ quidem essentialiter & ut definitio quo; subjecto verò non nisi accidentaliter & ut definitio quod, & quia substat formæ, cui ut quod convenit essentialiter definitio.

CCLII. Obijcies contra præfatam conclusionem: ens per accidens non potest unà definitione defini, ut docet Aristoteles 7^o. Metaph. cap. 4^o. sed concretum ex natura & 1^a intentione formali Univerfalis est ens per accidens, ergò nequit esse definitum in definitione Univerfalis.

CCLIII. Probatur minor, quia constat rebus diversorum prædicamentorum, subjecto scilicet pertinente ad prædicamentum substantiæ, & 1^a intentione

entione formali pertinente ad prædicamentum qualitatis, ergo, &c.

CCIV. Respondeo distinguendo antecedens: ens per Accidens, quod constat rebus diversorum prædicamentorum, æquæ 1^o & expresse, non potest unâ definitione definiri, ita ut utrumque sit definitum essentiale & ut *quo*, concedo antecedens; ratio est, quia res tantum possunt esse diversorum prædicamentorum, ed quod habeant diversas definitiones essentielles; unde si æquæ 1^o & expresse importentur, debent duabus definitionibus definiri: ens per Accidens, quod constat rebus diversorum prædicamentorum inæqualiter, ita scilicet, ut unam importet in recto per modum subiecti, & aliam in obliquo per modum formæ, non potest unâ definitione definiri, ita ut illa, quæ importatur in obliquo, dumtaxat sit definitum essentiale & ut *quo*, & alia, quæ in recto, definitum tantum accidentale & ut *quod*, nego antecedens: id enim contingit in definitionibus omnium concretorum accidentalium; nec difficulter intelligitur, 1^o quia definitum quod sub illa definitione non est diversi prædicamenti à definito *quo*, sed sub propria definitione essentiali. 2^o, quia ubi unicæ rei natura explicatur, sufficit unica definitio essentialis; hic verò solius formæ in concreto natura explicatur, & non subiecti, licet ei formæ definitio denominativè attribuat, in quantum est ipsi denominativè attributa forma.

D V B I V M II.

Quid sit prædicari in quid, quale, & in quale-quid.

CCIV. Prædicari in *quid*, esse prædicari per modum per se stantis, definiunt Philosophi communiter, & nuperrimè P. Comptonus Disp. 33. Log. Sect. 8.

CCVI. Sed contrà, obscura est ista definitio & explicatio: vel enim prædicari per modum per se stantis, 1^o, est prædicari per concretum, cuius forma sit per se stans & substantialis; vel 2^o, est prædicari per nomen substantivum, ut vult P. Arriaga; vel 3^o, est prædicari per nomen substantivum essentiale, ut vult P. Oviedus; nihil horum dici potest, nec aliud apparet, quod esse possit.

CCVII. Non 1^{um}, quia *persona* respectu Petri & Pauli, item *aureum*, *argentum*, &c. respectu hujus & hujus calicis, est tale concretum, & tamen de illis non prædicatur in *quid*: deinde omnes formæ accidentales, ut albedo, nigredo, &c. respectu suorum inferiorum prædicatur in *quid*, ut omnes fiant, & tamen non sunt tale concretum, ut patet.

CCVIII. Non etiam 2^{um}: quia vel nomen substantivum ibi sumitur grammaticaliter, ut sit illud, cui præponi possit, vel *hic*, vel *hec*, vel *hoc*; & hoc non; quia hoc dato, jam *persona*, *lector*, *causa*, &c. utpote substantiva grammaticaliter, prædicantur de Petro & Paulo in *quid*, quod dici non potest. Deinde *hominus*, *animalis*, *substantialis*, &c. utpote non substantiva grammaticaliter, non prædicantur de Petro & Paulo in *quid*, cum tamen reverà sint idem, quod *homo*, *animal*, *substantis*, quæ secundum omnes, prædicantur de illis in *quid*. Vel nomen substantivum sumitur Philosophicè, pro eo, quod aliis substat, & in alio non stat; & hoc etiam non; quia hoc dato, etiam *persona*, *lector*, *causa*, &c. utpote substantiva Philosophicè, in quantum aliis substant, & in alio non stant, prædicantur de

R. P. Francisci Bone Spei Logica.

Petro & Paulo in *quid*, quod dici non debet. Deinde nullæ formæ accidentales, cum non sint talia substantiva, sed in solo subiecto stent, respectu suorum inferiorum prædicantur in *quid*, quod est aperte falsum.

CCIX. Non etiam 3^{um}, quia dilemma factum, contrà P. Arriagam, vim suam retinet: vel enim P. Oviedus sumit nomen essentiale substantivum, grammaticaliter, vel Philosophicè sensu dato; non prius, 1^o, quia hæc adjectiva grammaticaliter, *hominus*, *animalis*, *substantialis*, &c. non prædicantur in *quid* de Petro, & Paulo, quod patet esse falsum ex dictis. Non etiam posterius, quia alioqui nullæ formæ accidentales respectu suorum inferiorum prædicantur in *quid*, (ut vidimus) quod nec ipse Oviedus concesserit.

CCX. Prædicari autem in *quale*, communiter definitur esse prædicari per modum adjacentis.

CCXI. Sed contrà etiam est, quod similiter obscura sit ista definitio & explicatio. Vel enim 1^o, id est prædicari per concretum, cuius forma est adjacens & accidentalis; vel 2^o, est prædicari per nomen adjectivum, ut vult P. Arriaga; nihil etiam horum dici potest, nec similiter aliud apparet, quod esse possit, ergo, &c.

CCXII. Non 2^{um}, quia, vel nomen adjectivum ibi sumitur grammaticaliter, ut sit illud, cui præponi non potest, *hic*, *hec*, *hoc*; vel Philosophicè, ut sit illud, quod est in alio, sive alteri adjacens; Non prius, quia *hominus*, *animalis*, *substantialis*, &c. sunt adjectiva grammaticaliter, & non prædicantur in *quale*; & *persona*, *lector*, *causa*, &c. non sunt adjectiva grammaticaliter, & prædicantur in *quale* respectu Petri & Pauli. Non etiam posterius, quia omnes formæ accidentales, cum sint in alio, sive alteri adjacentes, sunt nomina adjectiva Philosophicè, & tamen de suis inferioribus prædicantur in *quid*, ut omnes fiant. Hinc melius P. Oviedus dicit, prædicari in *quale* esse prædicari per modum partis formalis, puta, secundum quod prædicatum dicit in obliquo, sive secundum formam suam; consequenter tamen ad explicationem, quam dedit de prædicari in *quid*, debuisse dicere prædicari in *quale*, esse prædicari per nomen adjectivum essentiale, vel accidentale, quæ explicatio non est bona: quia, si sumat ly adjectivum grammaticaliter, *hominus*, *animalis*, &c. sunt adjectiva essentialia, & tamen non prædicantur in *quale*, sed in *quid*; si verò sumat Philosophicè, jam omnes formæ accidentales sunt nomina adjectiva accidentalia; & tamen de suis inferioribus non prædicantur in *quale*, sed in *quid*, ut sæpè dictum est. Deinde dantur nomina, *persona*, *lector*, *causa*, &c. quæ prædicantur in *quale* de Petro & Paulo v. g. & tamen non sunt nomina adjectiva, sed substantiva.

CCXIII. Non etiam 1^{um}, quia *persona*, *aureum*, *argentum*, &c. non sunt talia concreta, & tamen de suis denominatis prædicantur in *quale*: deinde *album* respectu hujus & hujus albi, est concretum cuius forma est adjacens & accidentalis, & tamen non prædicatur in *quale*, sed in *quid*.

CCXIV. Dices ex R. P. Poncio Disp. 4. de Genere, alium superesse, prædicari in *quid*, & in *quale* explicandi modum; sic nempe, ut prædicari in *quid*, sit prædicari per modum determinabilis essentialiter; prædicari verò in *quale* *quid*, per modum determinantis essentialiter, ergo, &c.

CCXV. Resp. negando assumptum, quia si prædicari

G

cari

cari in *quid*, sit prædicari per modum determinabilis essentialiter, prædicari in *quale quid*, erit prædicari per modum determinativi determinabilis essentialiter; quia prædicari in *quale* est prædicari per modum determinativi, & prædicari in *quid* est prædicari per modum determinabilis essentialiter: id autem dici non potest; quia, cum determinabile essentialiter sit Genus, & determinativum essentialiter Differentia, prædicari in *quale quid* esset prædicari per modum Generis & Differentiæ, quod est aperte falsum, ut patet. Quare, pro meliori explicatione, sit

RESOLUTIO I.

CCLXVI. **D**ico 1^o. prædicari in *quid* est prædicari essentialiter, sive per concretum, quod secundum formam, est de essentia ejus, de quo prædicatur; ita scilicet, ut hoc sine illo nec esse, nec concipi possit.

CCLXVII. Probatur rejectione aliarum definitionum & explicationum, & hujus facilitate ac claritate, ergo, &c.

RESOLUTIO II.

CCLXVIII. **D**ico 2^o. prædicari in *quale* est prædicari accidentaliter, sive per prædicatum, quod secundum formam non est de essentia ejus, de quo prædicatur, ita scilicet ut hoc sine illo esse, & concipi possit. Ergo, &c.

CCLXIX. Probatur hæc Resolutio similiter rejectione aliarum definitionum, & explicationum, & hujus facilitate, ac claritate. Ergo, &c.

RESOLUTIO III.

CCLXX. **D**ico 3^o. prædicari in *quale quid* est prædicari essentialiter & accidentaliter respectu diversorum; ut rationale v. g. quod de Petro prædicatur in *quale quid*, sive essentialiter & accidentaliter; essentialiter quidem de Petro, quia rationali hoc; accidentaliter verò de Petro, quia animali hoc; quia secundum solam formam, sive rationalitatem est de essentia Petri secundum quod rationalis est, & non est de essentia ejusdem secundum quod animal est; siquidem de essentia animalis non est, esse rationale.

CCLXXI. Probatio Resolutionis satis colligitur ex duabus primis Resolutionibus.

DISPUTATIO TERTIA

De Genere.

DVBIVM I.

An Genus rectè à Porphyrio definiatur, unum aptum prædicari de pluribus Specie differentibus in quid.

RESOLUTIO.

CCLXXII. **D**ico contra Scotistas, Thomistas, & P. Comptonum (qui dicit definitionem illam optimam esse, & ab omnibus probatam, sed immerito, ut patebit legenti PP. Hurtadum, Arriagam, Oviedum, &c.) definitio illa Generis ex Porphyrio tradita, non est bona.

CCLXXIII. Probatur 1^o, quia, cum prius sit scire, quid Genus, quam quid Species, & Specie differre; definitum ibi ingreditur suam definitionem, & idem explicatur per idem, ergo, &c. Consequentia patet; probatur antecedens, quia Species materialiter & 1^o intentionaliter includit Genus materialiter, & 1^o intentionaliter; Universale verò formaliter, dicitur Genus aut Species formaliter & 2^o intentionaliter à modo prædicandi Generis aut Speciei materialiter & 1^o intentionaliter sumptorum. Deinde quænam Specie differunt, nisi illa, quæ sunt dissimilis naturæ seu essentiæ, eo quod sub eodem Genere sive transcendentali, sive prædicamentali habeant diversas definitiones? Vbi vides, notitiam Specie differentium præsupponere notitiam Generis, ergo, &c.

CCLXXIV. Probatur 2^o, vel in illa definitione subaudiuntur particule sive mediata, sive immediata, incompletè & per modum partis determinabilis, vel non? si prius, definitionis Generis erit hic sensus, Genus est unum aptum prædicari sive mediata, sive immediata de multis Specie Differentibus incompletè, & per modum partis determinabilis: quo dato, æquè

commode fuisset definitum Genus, quod prædicatur sive mediata sive immediata de multis Genere differentibus in quid; quia æquè hoc modo à Specie & cæteris Universalibus distinguitur, ac isto modo: illa tamen definitio est omnino vitiosa. Deinde, si addantur ultimæ particule, incompletè & per modum partis determinabilis, frustra & male additur, Specie Differentibus; frustra quidem, quia absque illis particulis Species sufficienter à Genere excluditur; male autem, quia excludunt animal respectu Petri & Pauli, quod, cum sit propriissimè Universale 1^{um} vel 2^{um}; nec 2^{um} sit, 1^{um} dici debet. Si posterius, nonnisi alterutrum conveniet Generi videlicet, vel prædicari mediata, vel prædicari immediata tantum de multis, &c. & per ly mediata à definitione Generis excludetur prædicatio substantiæ respectu corporis & spiritus, & per ly immediata, excludetur prædicatio substantiæ respectu duorum hominum, duorum leonum, &c. quæ sunt absurda. Deinde, si ultimæ particule non subaudiuntur, Genus erit indifferens ad prædicari completè, vel incompletè; quo casu, Speciem non excludit; quod etiam est absurdum, &c.

CCLXXV. Confirmatur 1^o, si prædicari in quid de Specie differentibus & solo numero Differentibus, diversificet immediatè prædicabilia, idem dicendum erit de prædicari in quale, & prædicari in quale-quid de illis. 2^o si prædicari in quid, quale, & quale-quid, rectè contrahantur immediatè ad diversas Species per ly Specie Differentibus, & ly solo numero Differentibus; etiam rectè contrahantur immediatè ad diversas Species per ly de substantiis & de accidentibus; per ly de primis & secundis substantiis; de primis accidentibus & de secundis, &c. quæ augent Universalis, in membra æquè immediata, ac Porphyrius assignavit, sine fine divisiones. Ergo, &c.

D V.